INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXXI.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXXII.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE
TYPIS UNIVERSITATIS.

Civibus Literarum Studiosis

S. P.

RECTOR

ALOISIUS ESTREICHER

PHIL. ET MED. DOCT.

DE QUATUOR CODICIBUS RAYMUNDI PARTHENOPEI.

De IV. Codicibus Raymundi Parthenopei, qui continent *Summam legum brevem et utilem, stilo plano, libris tribus, quorum primus de Jure personarum, secundus de Jure rerum, tertius de Jure Actionum.* vid. Joannis Laskonis Commune inclyti Poloniae regni privilegium Cracoviae ap. Jo. Hallerum 1506 fol. I—LXVII. in fine operis sola et una, ut notum est, summae hujus typis impressae editio. Omnes Codices IV sunt papyracei. —

I. Codex nitide scriptus per Johannem de Bądzen (Bendzin est oppidulum Polonicum in confinibus Silesiae, 12 milliaria a Cracovia distans). Jn fine: *iste liber finitus est simul cum tabula seu regestro subscriptus fer. V. ante festum Viti proximi Anno Domini, ut supra* (1459) *in oppido Slawkow etc.* — continet non solum hanc summam Raymundi Parthenopei foliis 84. a p. 1. ad 168. sed praeterea quartum librum: *de Jure Canonico Tractatus* ad fol. 98. s. pag. 196. vid.

Valentini Litwiński Programma ad Indicem Lectionum Univers. Cracovien: a. 1816. Praeter hos, qui huc non pertinent, libros a) *Auctoritates* p. 197—210. b) *Matthaei de Cracovia Favistilla* s. *Suavistilla*, qui alibi dicitur: *tractatus rationis et conscientiae de sumtione pabuli salutiferi Corporis Domini Nostri* a p. 211—ad 267, de quibus vid. l. l. cf. Sebastiani Girtleri Med. Doct. olim Rectoris Magnifici Univers. Cracov. Praefatio ad indicem Scholarum Crac. Univers. a. 1825—26. Forma Codicis est quaternaria.

II. Codex est Johannis Vincenti Bandtkii Decani Facul. Juridicae in Universitate Regia Varsaviensi. Is Codex complectitur: 1) *Statutum Casimiri III. (Magni) typis impressum* 1490. Caetera omnia manu scripta, scilicet: 2) *Statuta Nieschoviensia* foliis 9. 3) *Statuta in Opatowicz edita* foliis 7. 4) *Statuta Vladislai Jagellonis Petricoviae* foliis 30. 5) *Statutum Joannis Alberti in conventione Petricoviensi* 1492. fol. 8. 6. *Sequuntur summarii Casus Jurium terrestrium Regni* foliis 8. 7) *Summarii casus Statutorum et Constitutionum Casimiri* IV. *et Vladislai II. Regum*, foliis 53. Tandem octavo et ultimo loco sine inscriptione: *sequitur Summa Raymundi Parthenopei Liber I.* fol. 20. *Liber II.* foliis 31. *Liber III.* fol. 57.—*Jndex foliis* 4. Forma Codicis quaternaria. Scriptura satis bona, monastica, quae dicitur neogothica, paullo minor, quam in Codice I. Jn fine Libri III. *Finit Liber tertius.* Indicis autem inscriptio haec est: *Iste Liber continet in se tres partes, quarum prima tractat de Jure Personarum, secunda de Jure rerum, tertia de Jure Actionum, quorum omnium praemissorum plenam notitiam quis habere potest per regestrum s. tabulam imminentem.* Totus Liber IV. qui ab aliis Raymundo Parthenopeo perperam tribuitur, hinc abest.—

III. Codex Bibliothecae Universitatis Cracoviensis forma quaternaria (ut I. supra laudatus) continet, primo: *Joannis Monachi Summam super quinque libros Decretalium*, a pag. 1. ad paginam 251. Inscriptio nulla. Incipit textus sic: „*Fecit Deus duo luminaria, Illu-*

„*minare majus, ut preesset Diei, lluminare minus, ut preesset nocti,*
„*utrumque magnum, alterum tamen majus. Jgitur ad firmamentum*
„*celi, id est, ad venerabilis Ecclesie illuminationem, fecit Deus duo*
„*luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quae sunt: pon-*
„*tificalis auctoritas et imperialis maiestas. Ex his igitur scilicet duo-*
„*bus principiis, scilicet auctoritate pontificali et majestate Imperiali*
„*alia Jura prodierunt. Conditor enim Canonis est Papa, conditor*
„*vero legis est imperator Julianus, Pompilius, qui Romulo successit*
„*in regno, primo leges Romanis dedit, unde dicit Moyses: et fecit*
„*Deus duo luminaria magna, id est, duas dignitates, scilicet Jus Ca-*
„*nonis et Jus Civile, quorum alterum alteri parat amminiculum, id*
„*est, juvamen vel subsidium. Primo ergo videndum est: quid sit*
„*Jus et quot sunt species Juris et que est utilitas Juris.* Jus est
„*ars boni et aequi, id est, justi,* id est*: Est scientia, per quam*
„*distinguitur bonum a malo, i. e. aequum ab iniquo. Ex. de Ju-*
„*stitia et Jure. ff. (lege prima.)* Species *Juris sunt duae, scilicet*
„*Jus naturale et Jus positivum. Jus naturale inter alia obtinet prin-*
„*cipatum id est principium, et hoc quatuor modis, scilicet: origine, di-*
„*gnitate, amplitudine et sententie rigore. Jncipit enim ab exordio*
„*rationalis creature, nec variatur tempore, sed permanet illimitabile.*
„*Jus naturale quoque dicitur ordo instinctu naturae, secundum quod*
„*similia ex similibus procreantur, ut Justi... (*Justinianus*) de Jure na-*
„*turali. Jus naturale quamquam dicitur limitatum et approbatum,*
„*nulla constitutione prohibetur, unde Ambrosius: Cuncta mihi licet ju-*
„*re naturali, nisi decreto vel lege vetaretur, id est, prohiberetur. Jus*
„*positivum est constitutio hominum imperfectum quidem ac immuta-*
„*bile, unde frequenter mutatur. Sed aliud est publicum, aliud pri-*
„*vatum; publicum est, quod ad publicam spectat utilitatem,* veluti *ne*
„*in portis, muris, foro civitatis aliquid committatur; privatum est, quod*
„*specialiter spectat ad singularem utilitatem. Utilitas Juris est juste*
„*vivere, alterum non ledere, unicuique quod suum est, tribuere, ut*

e|

„*institutum est de Justitia et Jure. Preterea dividitur tractatus iste* „*in quinque libros secundnm quinque Distinctiones Decretalium. In* „*primo agitur de Constitutionibus, Ecclesiarum jure, de ordinationibus* „*Clericorum et eorum officiis. In secundo de Iudiciis. In tertio de vita* „*et honostate Clericorum. In quarto de Matrimonio et ejus impedimen-* „*tis. In quinto de criminibus et poenis eorum. De constitutione librorum* „*omnium habentur hi versus:*

„*Pars prima officii parat Ecclesiae quinque ministros.*
„*Altera pars Testes et caetera indicat.*
„*Tertia de rebus et vita presbyterorum.*
„*Dat formam; rite nubere quarta docet.*
„*Quinta de vitiis et poenis tractat eorum.*

Primam ideo posuimus hic paginam operis per Johannem Monachum scripti, quia nullibi de eo facta est aliqua mentio. Pag. 251 sub anno 1464. „*Explicit summa Decretalium Magistri Johannis Monachi regrossata* „*Baccalaureis ad Sanctam Annam per. Matthiam de Jezowo-Llaus sit* „*Christo.* Legebatur itaque haec summa publice, ut duo alii ejusdem Codices manuscripti docent, alter sine anni nota, alter a. 1453 s. 1473. cujus in fine haec verba: *Expliciunt reportata decretalium manu cujusdam sub anno* 1413. Quartus codex *folio*, pagg. 137. „*Explicit Summa Juris* „*compendiosa et perutilis edita a Magistro Iohanne Anno Incarnatio-* „*nis Domini* 1420 *in die Sanctae Luciae*“ Caeterum hic Codex per Jacobum Canonicum Plocensem pro libraria Collegii Artistarum legatus fuit. Quis autem ille Magister Johannes Monachus summae Decretalium auctor fuerit, nos penitus latere profitemur. In Bibliotheca mediae et infimae Latinitatis auctore Johanne Alberto Fabricio T. IV. ed. Patavinae p. 105 inveniuntur novem Johannes Monachi, quorum tamen nullus ibi dicitur Magister s. Doctor Decretorum. Si conjecturam facere licet, haud scio, an fuerit ille M. Johannes Monachus idem, quem Fabricius laudat, monachum scilicet Ambianensis Dioeceseos, inde Episcopum Meldensem et ab a. 1294. Cardinalem, Conditorem Collegii Parisiensis *le Moine*, qui obiit Avenio-

ne a. 1313 d. 22. Augusti. Idem scripsisse dicitur commentarium in sextum Decretalium. De ejus Summa nulla tamen ibidem fit mentio. Ad Johannis Monachi summam Index finitur p. 254. At pag. 255 sequitur novus Tractatus e Raymundo de Pennaforti excerptus, capitibus XLVI. Tum a p. 263 ad 289. *Rabbi Samuelis Israelitae tractatus (Epistola) ad Rabbi Jsaac, quae est potissima. P. 290. sequitur Tractatulus tempore Interdicti* (alia manu scriptus) *ad pag.* 294. Tandem sine ulla inscriptione p. 295. *Raymundi Parthenopei summa legum brevis et utilis libris tribus* in cujus fine p. 426. *Et sic est finis hujus libri die IX. Mensis Aprilis sub anno Nativitatis Dni Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, pro quo sit Deus benedictus.* Index a p. 427. ad 429. Ante indicem haec inscriptio: *Iste liber legum infra scriptus continet in se tres partes. Prima tractat de Iure personarum. Secunda de Jure rerum. Tertia vero de Jure actionum, quorum quodlibet infrascriptorum per regestrum invenietur* Postremo a p. 428. ad p. 439. sunt formae s. exempla variarum literarum. Ultimam p. 440. explent Legum abbreviativae (*sic*).

IV. Codex etiam forma in quarto paginis 230 complectitur statim in fronte. *Raymundi Parthenopei summam legum* sine ulla inscriptione. Sunt autem in eo, ut apud Laskonem et in Codice I. Libri quatuor. Quartus liber spurius incipit p. 195. Anni nota nulla, quia Scriba p. 222. exorsus indicare annum sic desiit: *Explicit liber de Jure personarum et rerum et actionum* etc. *Sub Anno Domini Millesimo*, caetera autem omisit, in ultima pagina Indicis vero haec subjunxit: *Iste liber finitus est plenarie cum Tabula seu Regestro supra scripto feria V. in festo s. Dorotheae, ut supra.* Caeterum quia hic Codex IV. e primo Codice 1459. fluxisse videtur, cum ob scripturae deformitatem et nimium compendiorum usum non nisi exeunte decimo quinto seculo confectum fuisse opinamur. Post quatuor folia vacua: *Incipit soliloquium Richardi contemplativum* et alia excerpta ex SS. Patribus, *Bernhardo*, *Anselmo* et aliis, quae folia 113. forma quaterna complent. De his nihil dicemus, quum ad Raymundum Parthenopeum non pertineant. —

De Raymundo Parthenopeo haec autem iterum repetenda esse videntur, quae in Indice Lectionum fusius enarrata fuerunt a. 1825. Eum Italum Parthenopeum s. Neapolitanum fuisse, Juris Romani Doctorem, sed ut Lasko voluit, Juris Utriusque Magistrum, non autem Magdeburgensem natione Germanum, nam quae voces Germanicae apud Laskonem et in Codice I. II. IV. occurrunt *rechtlos*, *ehrlos* (Lasko. f V.) *hanthaft* p. 163 in Cod. I. p. 189. IV. p. 11. eae non inveniuntur in Codice III. quo facto has voces a recentioribus Scriptoribus additas esse certo certius apparet. Saepe Raymundus Parthenopeus memorat consuetudinem provinciae, terrae nostrae, sed quaenam illa fuerit, nullibi dixit. Venetiarum meminit f. V. XXX IIII. libro III. c. 7. de Jure Saxonico, de scholis Magdeburgi nulla commemoratio, sed de scholis Bononiensibus est satis longa mentio facta f. 30. L. II. c. 75. exemplum de Roma XXXIV. 7. L. III. c. 7.— Doctores Juris utriusque non Magdeburgi, sed Bononiae aut alibi in Italia factos fuisse nemo ignorat. Ut Johannis Monachi summam decretorum, ita Raymundi Parthenopei summam Juris Civilis praelectionibus factam et per scholas iuridicas et alibi, et praesertim Cracoviae in usu fuisse verosimillimum est. Restat, ut de titulo Summae Raymundi Parthenopei aliquid dicamus. Inscriptio operis alia esse non potuit, quam haec, quam Auctor in fronte ipse indicavit, etiamsi sequiore tempore et Liber Legum et Summa Legum, codices varii dicti fuerint, qui tum in usu fuerunt.

Superet Cives Academici, Juvenes ornatissimi, ut Vos ad diligentiam et assiduitatem in studiis literariis exhortemur. Paucis id faciemus verbis. Tibullus sic L. 1. e. 8. cecinit:

At tu, dum floret tibi temporis aetas;
Utere, non tardo labitur illa pede.

Praelabentis vero temporis fuga, quam sit irreparabilis, quis dubitet? Quod juvenes teneris annis non didicerint, ut id viri aut senes discant, difficile est aut plane fieri nequit. Notus est antiquus ille versus: *Fronte capillata est, posthaec occasio calva.* Qui occasionem discendi in scholis per negligentiam, pigritiam, levitatem aut aliud vitium quodcunque praeter-

labi passus fuerit, is nunquam damnum inde acceptum resarciet, nunqam eruditus aut doctus evadet, sed infra arctos mediocritatis fines positus vix habebit, quod ad scientiam officii et muneris, quo forte fortuna fungi ei contigerit, tenuissimam sufficiat. Ut igitur studiis literariis, artibus et disciplinis intenti nihil magis cogitetis, quam ut in iis multum et feliciter proficiatis, vos iterum atque iterum vehementer rogatos esse volumus.

ORDO THEOLOGORUM.

Matthaeus Kozłowski Ord. Praed. S. Theol. Dr. Hist. Eccl. P. O. h. t. Facult. Theol. Decanus.

Hora matutina 10—11, quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam Ecclesiasticam, methodo Alberi.

Nicolaus Janowski S. Theol. Dr. Moral. et Pastoral. et Eloquent. Sacrae Prof. P O. Can. Ecclesiae Cath. Crac.

Horis pomerid. 1—2, diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem Ecclesiae Romanae Catcholiae. Idem praeleget etiam Pastoralem Theologiam et praecepta Eloquentiae sacrae.

Joannes Stanislaus Przybylski S. Theol. Doct. Ecclesiar. Cathedr. Cracov. et Archicoll. Lancic. Canonicus, Consist. Gener. Crac. Jud. Sur. a Reg. Varsov. Liter. Universit. binis Metalion. Aur. Magn. insignitus, Sacrorum Dogmatum Prof. Ord. Pub.

Singulis per hebdomadem horis matutinis, 7—8, die Jovis excepto, Institutiones Dogmaticas profitebitur. Idem horis matutinis 11—12, exceptis diebus Jovis, quotidie Archaeologiam biblicam, Hermeneuticam generalem et specialem Veteris Testamenti ac Philologiam tradet, demum explicabit Psalmos, incipiendo a Psalmo XLV.

Petrus Pękalski S. Theol. D. Canon. Ord. S. S. Cust. Hierosolymit. Linguarum orientalium Prof. Extraord.

Horis mat. 11—12. diebus Lunae, Mercurii et Jovis tradet Linguam Hebraicam, Chaldaicam et Syriacam.

ORDO JURISCONSULTORUM.

Adamus Krzyżanowski J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jur. Decanus.

Hora 9—10. diebus Lunae, Mercurii et Saturni, diebus autem Martis, Jovis et Veneris 8½—10. Historiam Juris Antiqui Polonici, deinde Codicem Civilem in Regno Poloniae vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et Legum Antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem mercantilem, qui in Regno Poloniae obtinet, cum applicatione legum, quae apud gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Felix Słotwiński J. U. et Phil. Dr. Juris Nat. et Ecclesiastici Pro. P. O.

Hora pom. 4—5, quotidie, excepto die Saturni, jus naturae universum, privatum, civitatis et gentium, nec non Methodologiam et Encyclopaediam Juris docebit. Idem hora matutina. 8—9. diebus Martis, Jovis et Saturni, jus Ecclesiasticum tradet.

Antonius Matakiewicz J. U. D. Ord. S. Stanislai IV. Classis Eques P. P. O.

Horis matutinis ab ½8—9, quotidie, exceptis diebus festis, semestri hyemali Codicem Judiciarium Civilem in Regno Poloniae vigentem explicabit, et quae e Codice Civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent, simul exponet. Semestri aestivo Jus Criminale, juxta textum Codicis Criminalis Austriaci, cum applicatione Codicis Criminalis Polonici tradet.

Petrus Bartynowski J. U. D. Prof. P. O.

Horis matut. 8—9, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, Historiam Juris Romani et Institutiones enarrabit, horis vero mat. 9—10. quotidie Pan-

dectas explicabit, ordine a Warnkönigio in Comment. juris Rom. priv. Leodii a. 1825. impressis, observato.

Ferdinandus Koisiewicz J. U. Dr. Prof. P. O.

Hora matut. 9--10, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, I. Oeconomiam politicam. II. Doctrinam administrandae reipublicae generalem, III. Constitutiones Regni Poloniae et Liberae Civitatis Cracoviensis explicabit. Horis vero mat. 8—9, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, jam autem hora mat. 9—10, die Saturni, I. Rem aerariam, II. Politiam, III. Statisticam tradet.

Johannes Hieronymus Rzesiński Phil. et J. U. D.

Diebus Lunae et Jovis h. pom. 2—3. Gaii institutionum commentarios interpretabitur.

ORDO MEDICORUM.

Adalbertus Georgius Boduszyński Med. D. Pathol Generalis, tum Therapiae generalis ac Mater. medic. P. O. P. h. t. Fac. Med. Decanus, Reipub. Crac. Protomedicus.

Horis matutinis 10—11 $\frac{2}{1}$ diebus Lunae, Martis et Mercurii, lingua latina Pathologiam generalem explicabit; diebus Veneris et Jovis iisdem horis Materiam medicam et Therapiam generalem tradet.

Josephus Kozłowski M. D. Anatomiae et Physiologiae P. P. O.

I. Semestri hyemali tradet Anatomiam theoreticam idiomate polonico diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora 9—10, praeterea tradet eodem semestri hyemali pro opportunitate, tempore vespertino, per duas horas continuas semel singulis septimanis Anatomiam practicam.

II. Semestri vero aestivo tradet idiomate polonico Physiologiam medicinalem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora 9—10; tunc diebus Lunae et Mercurii hora 3—4 post meridiem.

III. Tradet idiomate polonico medicinam forensem semestri hyemali et aestivo singulis diebus Veneris hora 3—4 post meridiem.

Josephus Brodowicz M. D. Pathologiae, Therapiae et Clinices P. P. O.

Horis matut. 9—10, quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, Pathologiam et Therapiam specialem lingua latina tradet. Clinicam autem praxin ab hora 8—9, matutino tempore per annum totum docebit, latine studiosos Medicinae et Chirur. sublimioris, polonice discipulos Chir. inferioris.

Florianus Sawiczewski M. D. Pharmaciae P. P. O.

Diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8 matutina ad 9 e propriis schedis Pharmaciam docebit, qua finita, aquarum mineralium naturam et indolem explicabit.

Julianus Sawiczewski Med. Dr. Politiae Medicinalis, Histor. Medicinae, tum artis Veterin. P. O. P.

Hor. mat. 11. cum dimidia ad. 1. diebus Lunae, Mercurii, et Veneris, Politiam Medicinae ex propriis scriptis lingua polon. tradet. Deinde ad praelegendum de Historia Medicinae, pariter ex propriis schedis, secundum ordinem variarum theoriarum et systematum, cum necessaria recensione accedet, idque latino idiomate. Artem veterinariam vero, mox secundum Veith et Pilgerum, mox secundum Bojanum, aliosque Auctores, diebus Martis et Jovis ab hora $11\frac{1}{2}$ ad 1. pomeridie explicabit.

Ludovicus Birkowski Ph. M. et Ch. D. Chirurgiae super. et Artis Obstetritiae P. P. O.

Clinicen chirurgicam, opthalmiatricam et obstetriciam in Instituto Clinico hor. pom. 2—3 quotidie moderari perget. I. Hyemeli semestri: *a*) Chirurgiam specialem diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hor. 3—4 docebit. *b*) Opthalmiatricam seu doctrinam de cognoscendis et curandis oculorum morbis diebus Mer. et Sat. hor. pom. 3—4 tradet. *c*) Artem obstetriciam theoretico practicam die Saturni hor. mat. 7—8,

explicabit. II. Aestivo semestri. *a*) Aciurgiam seu cursum omnium operationum chirurgicarum duce libro suo „Antomisch-Chirurgische Abbildungen nebst Beschreibung der Chirurgischen Operationen, Berlin 1827„ diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hor. 3—4 docebit. Demonstrationes exercitationesque aciurgicas frequenter moderabitur. *b*) Doctrinam de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis die Mercurii hor. pom. 3—4 tradet. *c*) Desmurgiam et Mechanurgiam seu fascias et machinas imponendi artem, die Satur. hor. pom. 3—4. exponet. *d*) Artem obstetriciam practicam cum exercitationibus phantomi die Sat. hor. matut. 7—8. tradet.

Car. Theod. Soczyński M. et Ch. Dr. Institutionum Medico-Chirurgicarum, Artis Obstetriciae theoreticae, Morborum feminarum Infantumq. P. P. O. Societatum Regiae Philomaticae Varsoviensis, Literariae Universitatis Jagellonicae, Latinae Vinariensium nec non Ducalis Mineralogicae Jenensis Sodalis R. P. Cracoviensis Senator.

Diebus Lunae et Mercurii Institutiones curandi Feminarum Infantumq. Morbos; Martis vero, Jovis et Veneris Artem Obstetriciam, hora a meridie 4—5½, idiomate Polonico, docebit.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I. FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Aloysius Estreicher Phil. et Med. D. P. P. O. Universitatis Jagellonicae Rector.

Hora mat 10—11. quotidie exponet Zoologiam per semestre hyemale, ducibus Latreille, Cuvier, Ocken, Illiger, Lamark et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hora matut. 6—8. Botanicen tradet per semestre aestivum. Hora pom. 2—3. Diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa, per semestre hyemale.

Hor. pom. 6—8. exercitationes botanicas instituet et ad Botanicae practicae usum manu ducet, atque Dendrologiae rudimenta per semestre aestivum tradet.

Carolus Hube Phil. D. Matheseos sublimioris P. P. O. h. t. Facultatis Mathem. et Phys. Decanus.

Hora mat. 8—9. quotidie, exceptis diebus Saturni, tradet Analysin finitorum, calculum analytico-trigonometricum, Trigonometriam sphaericam et Geometriam Analyticam, praecipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hora mat. 9—10. diebus Lunae, Mercurii et Veneris calculum differentialem et integralem docebit, applicationemque ejus ad Mechanicam sublimiorem ostendet.

Romanus Markiewicz Phil. Dr. P. P. O.

Hor. matut. 8½—10. quater de hebdomade, die vero Martis et Veneris 9—10. physicam experimentalem ac theoreticam tradet, opus Clarissimi Desprez, quod inscribitur: Traite élémentaire de Physique, secuturus.

Franciscus de Paula Sapalski Phil. D. Geometriae Descriptivae P. P. O.

Horis 12—1½ Geometriam descriptivam tradet theoreticam, deinde accomodatam perspectivae umbrarum, artibus fabrilibus et Gnomonicae, diebus Lunae, Mercurii et Jovis.

Hor. 4—5. pom. diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivum.

Hora 11—12. mat. diebus Solis, opificibus et artificibus tradet Architecturam et Mechanicam practicam.

Franciscus Szopowicz Phil. D. Mathes. Jnfer. P. O. P. h. t. Senator Reipublicae Crac.

Horis mat. 10—11½ diebus Lunae, Martis, 10—11, diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni Mathesim inferiorem duce Lacroix docebit.

Maximilianus Weisse Phil. D. P. P. O.

Hor. mat. a 9½—11. Astronomiam Theoreticam, horis pom. a 3—4. Astronomiam practicam diebus Martis et Jovis propriis e schedis praeleget.

Felix Radwański Architecturae Prof. P. O.

Horis pom. 1½—3. quotidie profitebitur Architecturae disciplinas. Scilicet cursu in biennalem diviso, diebus Lunae, Mercurii et Saturni tiro-

nibus praelectiones populari methodo ad practicum usum ex universa Architecturae scientia accomodatas, diebus autem Martis, Jovis et Veneris hor. pomerid. 3—4. sublimioris Architecturae partes tradet.

Florianus Sawiczewski M. D. Pharmaciae P. P. O.

Horis pom. 2—3. quotidie exceptis festis Chemiam docebit.

Ludovicus Zeischner Phil. D. P. P. Extraord.

Hor. pom. 3—4. diebus Martis, Jovis et Veneris Mineralogiam tradet.

II. FACULTATIS LITERARIAE.

Georgius Samuel Bandtkie Phil. D. Bibliographiae P. P. O. et Bibliothecarius h. t. Facultatis Phil. Literar. Decanus.

Hor. pom. 1½—3. die Mercurii, Veneris et Saturni, Bibliographiam profitebitur. Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis latine scribendi praecepta Lipsiae 1802) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris hora 7½—9.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturae Polonicae et comparativae P. P. O.

Hor. mat. 10—11. traditis praeceptis Eloquentiae et Poëseos, per Classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Hermannus Schugt, Phil. D. Linguae et Lit. Graecae P. P. O.

Hor. mat. 11—12 quotidie carmina Pindari explicabit.

Josephus Jankowski J. U. et Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—4 docebit Philosophiam theoret. et practicam diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, exercitationes vero paedagogicas instituet die Lunae. Die Saturni Historiam Philosophiae e propriis schedis tradet.

Joannes Cajetanus Trojański Phil. D. Literaturae Latinae Profess. O. P.

Profitebitur sexies per hebdomadem hor. mat. 11—12⅓, et die quidem Lunae explicabit Ciceronis Orat. pro Milone, die Martis Horatii epistolam ad Pisones et librum Epodon; diebus Mercurii et Veneris Historiam liter. roman. enarrabit (ducibus Matthiae, Passov et Bähr.) reliquis antiquitates Romanorum tradet ratione et via a Creuzero monstrata.

Michael Wiszniewski Prof. Hist. P. O.

Hor. pom. 2—3. quotidie exceptis festis Historiam Universalem antiquiorem et recentiorem docebit. —

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4. diebus Lunae, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, speculam Astronomicam, et Hortos Botanicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus Praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Hort. Botan. condonare velint, quovis tempore de commoda hora certiores facti, curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10. matutina, finita praelectione.

Linguam Anglicam tradet Hermanus Schugt 12—1. Germanicam Antonius Tessarczyk hor. pom. 2—3. Lauvernay Linguam Gallicam docebit quater per septimanam diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni a 3—4.

Artem saltandi Petrus Couder quater per hebdomadem hor. pom. 6—7. diebus vero Martis et Mercurii 3—4. Fran. Boznański artem equitandi hor. pom. 4—5.

SCHOLA PICTORIA
ET SCULPTORIA.

Josephus Brodowski Pictoriae artis Prof. P. O.

Tradet artem pictoriam hor. mat. 11—12. quotidie, exceptis festis.

Josephus Szmelcer Sculptoriae Artis Prof. P. O.

Horis mat. 11—12. docebit Sculpturae artem.

Adalbertus Cornel. Sztattler Pictoriae artis Prof. P. O.

Artem pictoriam hor. matut. 10—12. docebit quotidie, exceptis diebus festis.

Joannes Nepomucenus Bizański Anatomiae et Perspectivae Prof. Pub. Extraord.

Hor. matut. 11—12. diebus Jovis, Veneris et Saturni Anatomiam et Perspectivam tradet.

...LECTIONUM

IN

...UDIORUM JAG...

...RIS ANNO MDCCCX...

...I JULII ANNO MDC...

...TUENDARUM.

...COVIAE

...IVERSITA...